LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

AD

ORATIONEM

in

MEMORIAM SCHUESSLERI

VIRI DE RUTHENEO PRAECLARE MERITI

d. XXIX. Novembr. a. MDCCCXLI. hora XI. antemerid.

in

AUDITORIO MAIORE

rite habendam

invitat

M. CHRISTIANVS GOTTLOB HERZOG

GYMNASII DIRECTOR SOCIETAT. LATIN. JENENS. ET SOCIETAT. LITERAR. LUSATIC. SODALIS.

Observationum Particula XIII. qua continetur brevis contra Wexium V. Cl. disputatio de loco Taciti, qui est Agric. c. 2. *At mihi — venia opus fuit.*

GERAE,

EX TYPOGRAPHIA AULICA.

Quae mihi injuncta est officii munerisque pars propria et singularis, ut memoriam ac laudem **Schüssleri**, viri generosissimi, suis in Gymnasium nostrum beneficiis collatis praeclare meriti, commentatione aliqua in publicum emittenda recolam, ea quomodo denuo, hac oblata opportunitate, defungerer non ita in ambiguo fuit, quum quae tum eximiae optimi viri humanitati, tum litterarum studiis, quibus ille honestissimus exstitit fautor, magis conveniens esset, non aliam viderim aut repererim nec rationem nec materiem, quam quae ex Graeca et Romana petita esset antiquitate. Nam quum ampliori disputationi gravioribusque de rebus instituendae locus non sit, si quidem intra peraugustos fines talis scriptio sese contineat necesse est, singula veterum auctorum loca perlustrare atque de iis pro sua cujusque necessitate longius brevius in utramque partem disserere optimum factu quum antea multis visum est, tum nostram in hoc genere operam collocatam eruditis viris non prorsus improbatam esse vidimus. Scribendi autem et inquirendi copiam nobis praebebit Tacitus, cui quidquid olim acrioris et intentioris studii ab hominibus doctis tributum est atque impensum, uti egregios ac salutares tulit fructus, ita et posterioribus tanto fuit incitamento, ut si qua in praestantissimum scriptorem a prioribus viderentur officia neglecta aut temporum studiorumque varietate interrupta, ea ex nostrae aetatis hominibus complures pro suis quisque opibus tum praestare, tum quasi repraesentare contenderent. Quos omnes recensere nec temporis est, nec loci: satis duco meique officii nunc esse arbitror tres maxime appellare viros, eruditionis copia et ambitu excellentes, qui sua in Taciti libros opera novissime impensa declararunt, quanto ipsis scriptor ille in honore sit, quem dignitatis locum apud eos obtineat, quaeque justa et vera optimi scriptoris apud omnes elegantioris doctrinae homines esse debeat aestumatio. Doederleinium nomino, qui sua Annalium editione [1]) ostcu-

---

[1]) C. Cornelii Taciti Opera. Emendavit et commentariis instruxit Ludovicus Doederlein. Halis, 1841.

dere conatus est, quid et quantum tum in emendanda, tum in explicanda oratione Tacitina, qualis illa in libris antea typis exaratis aut manuscriptis circumfertur, reliquum factum fuerit a prioribus editoribus et interpretibus. Nemo certe erit, qui non judicii agnoscat approbetque et subtilitatem et moderationem, qua Doederleinius in praefatione fines terminosque descripsit, quibus suam Annalium interpretationem contineri vellet. Böttícherum honoris causa appello, cui librum [2]) acceptum referunt Taciti lectores et amatores, quo post Hoffmeisterum, qui in simili argumento versatus est, multis applaudentibus, dissentiente passim ac reprobante Böttichero, cfr. Praef. p. XIII. non alius ullus compositus est majore animi studio et fervore, intentiore cura, copiosiore doctrina, subtiliore et diligentiore ingenii et morum veteris scriptoris perscrutatione. Totus enim liber plenus est religionis et pietatis, divino quasi adflatu conscriptus: sed quos altiores auctor spiritus duxit, iis nescio an nonnulli mecum existument auctorem eo usque incensum esse et inflammatum, atque adeo ingenii quodam aestu abreptum, ut recentia cum veteribus, prisca cum novis commiscuisse videatur. Id certe mihi persuasum est, in omni veterum scriptorum tam interpretatione quam aestumatione sedulo cavendum esse, ne tantum iis revera detractum fuerit, quantum quis altiore quadam animi elatione iis tribuere enixus est. Nulla enim re suam optimi scriptores laudem et auctoritatem quum olim nacti sunt, tum etiamnum tam firme et fortiter tuentur, quam singulari illa et propria in judicando aequitate et moderatione, sua in rebus enarrandis ingenuitate et simplicitate, suaque firma quadam et stabili ratione, qua munus suum vel sumptum vel injunctum peragere studerent, sic ut quemadmodum ab ira et studio, ita a mollioribus illis animi adfectibus ac sensibus, quantumvis honestis, provide ac caute sese abstinerent, quippe qui tanquam in foro negotiisque publicis versantes, semper ad eventum festinarent et in medias res lectores raperent. Itaque uti ab humanitate nunquam eos recessisse suumque virtutis et honestatis studium non facile alium quemquam apertius confidentiusque declarasse credo, quam Tacitum, ita vix quisquam quantumvis me multo doctior ingenioque acutior mihi persuadebit, Tacito, tanquam de coelo tacto aut divina quadam luce collustrato, cum propriis et singularibus Christianae doctrinae sive praeceptis sive dogmatis et mysteriis cognationem ac propinquitatem aliquam intercessisse. Unum est, quod semper tanquam peculiare quiddam in eo admiratus sum, et quale vix in alio ullo vetustatis scriptore detexisse mihi videor signum ac documentum interioris cujusdam necessitudinis et communionis, qua nostra aetas velut arctissimo vinculo cum antiquitate consociatur: illam dico animi fortitudinem et constantiam, qua Tacitus praeter ceteros rectum defendit atque honestum, summamque illam virtutis speciem, quam et animo ac mente complexus est, et tam studiose ac religiose colit atque observat, ut totam rerum gestarum tum seriem ac molem, tum singula cujusque facinora in jus quasi vocet, secundum virtutis et honestatis praecepta dijudicet, absolvat alium, alium judicio damnet, ratione legis, quae cum sic vel aliter sta-

---

[2]) Cujus libri inscriptio mira sane et magnifica haec est: *Prophetische Stimmen aus Rom, oder das Christliche im Tacitus und der typisch prophetische Charakter seiner Werke in Beziehung auf Rom's Verhältniss zu Deutschland. Von Dr. W. Bötticher. Hamburg und Gotha.* 2 *Thle.* 1840. Cfr. Annal. Haleas. Num. 94. 1841.

tuere ac decernere jusserit, nunquam omissa, semper, si non diserte verbis expressa, significata saltem et monstrata. Ex qua ejus indole ac consuetudine si quid exortum est vitii, uti nonnullis visum est,[8]) quod scilicet res gestae haud raro cogitationi et judicio scriptoris videantur inferiores, praevaleat hoc, postponantur aut levius tractentur illae: ipsa tamen haec animi morumque proprietas tantam vim vel in juvenum animos exserit, ut quum omnia velut coram severo et incorrupto judice agantur, quicunque ad eum accesserit, tanquam numinis divini praesentia perculsus teneatur. Quare, quum de stirpe Germanica homines suapte natura et indole ad seria magis compositi sint, quam ad joca et ludicra, quumque gens nostra haud immerito singularem quandam laudem inde duxerit, quod cujusvis virtutis perfectam aliquam speciem animo ac mente sectari et amplecti prae ceteris ipsa consueverit, ego equidem ita semper statui, Tacitum sua de rebus divinis atque humanis sentiendi et judicandi ratione quam proxime ad Germanicam indolem et naturam accedere, atque huic illum ita convenientem ingenioque cognatum esse, ut alium veterum scriptorum neminem. Accedit luculenta illa interioris sensus veluti ad posteritatem professio et testificatio, qua admirabili prorsus tum orationis simplicitate, tum animi ingenuitate declaravit, quanto plus apud priscos Germanos naturae valuerit integritas, quam apud Romanos, terrarum dominos, legum scriptarum auctoritas: quam Germaniae descriptionem Tacitus, opinor, nec suscepisset neque evulgasset, nisi veritati et honestati plus ille tribuisset, quam ambitioni et vulgari popularium existimationi. Quo item viam ille monstravit et rationem rectam utique et aequam, quam velim et eligant et teneant, quicunque nostris hisce temporibus de exterarum gentium ingenio et moribus vel judicaturi vel relaturi sunt: scilicet, ne dum occaecato aut inflato animo suis gestiunt superbiuntque sive rebus gestis, sive legibus et institutis, spernant atque vilia habeant peregrina omnia; neve suo tantum modulo metiantur rerum publicarum et domesticarum formam et habitum, qualis est apud exteros, sed justa ponderent et aequa lance, quidquid usu ac more apud alios receptum est aut lege sancitum. Itaque si quod in Tacito elucet eminetque altitudinis et excelsitatis signum, quo cognito et conspecto optimus quisque mirifice delectatur et recreatur, recti studium est et honesti, acre illud et fervidum, nunquam remittens nec relanguescens, neque patriae finibus coercitum aut ad popularium mores ac sensus ambitiose sese applicans, sed altiora semper petens ultraque progrediens, sic ut eum et civem Romanum jure optimo dicas, siquidem a patriae caritate recedere nec potuit, nec voluit unquam, et mundanum haud inepte appellare queas, utpote qui non suae tantum genti adhaeserit, sed quae apud exteros bene et praeclare vel gesta essent vel instituta, adsensu suo comprobaverit atque ex veritate, non ex vulgi opinione aestumaverit.

---

8) Huc referenda sunt, quae nuper legi in libro elegantissimo: *Otfried Müllers Geschichte der griechischen Literatur bis auf das Zeitalter Alexanders. Breslau* 1841. 1. *Theil p.* 353. Ibi enim de Taciti et scribendi et narrandi genere haec pronuntiata et judicata sunt: *Was von Tacitus Zeitgeschichte, den Historien, erhalten ist, steht bei gleicher Ausführlichkeit (in Vergleich mit Thucydides) doch in der Deutlichkeit und Bestimmtheit der faktischen Erzählung weit zurück. Tacitus eilt nur immer von einem Herz- und Gemüthergreifenden Moment zum Andern und vernachlässigt darüber, mehr als billig, von dem Zusammenhange der äusseren Begebenheiten befriedigende Rechenschaft zu geben.*

Sed satis de his dictum est: immo ne justo diutius in hoc loco commoratus esse nonnullis videar, vereor. Itaque ad tertium quendam accedamus, qui magnam Taciti amatoribus spem excitavit et exspectationem novae clariorisque lucis, quam praestantissimus ille de vita Agricolae libellus, et quo suae ipsius tum humanitatis tum pietatis Tacitus tacite ac modeste imaginem descripsit luculentam, quum aliis multis, tum eidem illi viro erudito, de quo dicturus sum, desiderare visus est. Wexius est, vir Graecarum et Romanarum litterarum peritissimus, elegantiae et subtilitatis laude conspicuus. Is enim tum artis suae criticae, tum accuratioris locorum nonnullorum interpretationis specimen edidit singulari commentatione [4]), qua quantum ego et allectus et delectatus fuerim, dici non potest. Multa enim protulit auctor ex sua doctrinae copia proque sua ingenii sagacitate, quibus tum inveteratos quosdam errores dispellere, tum locos aliquot obscuriores illustrare, depravatos quosdam admirabili quadam divinandi et conjectandi sollertia sanare studuit. Denique spem fecit novae totius libelli editionis propediem parandae: quod promissum, permultis haud dubie aeque ac mihi gratum et acceptum, ubi compleverit Vir eruditissimus, officiumque simul virile praestiterit, egregie ille de vita Agricolae meruisse censendus erit, multis et magnis etiamnum post tot et tantos interpretum labores tum difficultatibus obstructa, tum mendis ac vitiis obruta. Interim quae in tali conatu ratio adhibenda sit et tuenda, quae leges observandae, quibus ex prioribus libelli editoribus plus minusve auctoritatis tribuendum sit, uti praeclaro sane exemplo ostendisse mihi videtur Wexius, ita mihi quidem non in omnibus neque adstipulandi gratam quandam necessitatem imposuit aut opportunitatem dedit, neque omnem ademit dubitationem, sic ut optimum factu ratus essem in alienis acquiescere bonis et quid ego aliter de locis quibusdam statuerem, vel missum facere vel reticere. Potius duxi atque ad officii studiorumque rationem magis accommodatum, diversam meam qualemcunque sententiam palam pronuntiare Virorumque eruditorum judicio subjicere, praesertim quum mihi jam dudum propositum esset, quidquid otii viriumque reliquum futurum est, in eundem illum Taciti libellum impendere.

Itaque ut ab eo ipso loco exordiar, in quo illustrando diutius aliquando moratus sum, nullo modo a me impetrare potui, ut assentiar iis, quae de loco illo notissimo multumque et varie exagitato, qui est Agric. c. 2. in. disputavit Cl. Wexius. Longum foret varias illas et multiplices hujus loci enumerare explicationes, versiones, singulorumque verborum interpretationes a viris doctis trium prope seculorum spatio tentatas: collegit plurimas atque in unam veluti molem quanquam indigestam constipavit Ruperti diligentia et sedulitas; delectum fecit Rothius p. 105. Verba autem ista, de quibus nunc judicium censuramque facturi sumus, haec sunt: *At mihi nunc narraturo vitam defuncti hominis venia opus fuit.* Ac primum cavendum esse censeo, ne omnis veterum scriptorum interpretatio, ab hominibus doctis unquam tentata, derisui sit aut certe cavillandi copiam faciat iis, qui vel ipsi viderint vel per auditionem acceperint, quanta saepe fuerit interpretum discrepantia in vocabulorum vulgarium et quae velut de medio sumpta essent, notione constituenda, definienda. Ego autem quum cogitatione, tum experientia eo adductus sum, ut cujusvis loci interpretationem eo veriorem et saniorem existimem, quo simplicior illa est et communi omnium intelligentium hominum sensui convenientior. Quare, quum pro certo poni debeat, Tacitum uti alias, ita primo maxime hoc scribendi periculo, quod erat facturus, locutum esse sic, ut cultiorum certe hominum quisque statim intelligeret, quid sibi vellent verba, quique esset aut fuisset verus animi sensus, quo auctor illa pronuntiaverit, vix mihi quisquam persuadebit, *veniam* hoc loco idem fere esse, quod *gratiam,* nedum ut *bonam veniam,* quam Wexius

---

[4]) In publicum illa emissa est pro Programmate, quod vocant, et argumentum, de quo agitur, indicatum est hocce: *Beiträge zur Kritik und Erklärung von* Tacitus Agricola. *Schwerin,* 1840. 32 *S.* 4. Cfr. Observationum mearum Partic. X. et quae contra disseruit Gernhardus V. Cl. in epistola meo nomine inscripta. Vimar. 1838.

intelligendam esse censet, (*Geneigtheit meiner Leser*) in hunc locum cadere credam. Est enim formula haec non orantis, sed deprecantis, nec loci aut temporis, nisi ubi aliqua suspicandi causa subest, ne alter, maxime potentior aliquis et opulentior, succenseat aut indignetur vel precibus faciundis, vel petituro alicui gravius quiddam et quod alteri fortasse videatur intempestivum aut importunum. Exempla in promptu sunt, et complura congesta reperies apud Ruhnken. ad Terent. Phorm. II, 3, 31. Neque id mirabimur, quod eadem illa locutio paulatim facta est urbanorum hominum atque omnino eorum, qui blandis illis verbis praemissis alium quendam sive nobiliorem sive praepollentem sibi conciliare vellent, quo lenius mitiusque ille preces faciundas exciperet.

Jam vero quum totius quaestionis summa ipsaque vocabuli *veniae* notio, de qua disceptatur, confici constituique nequeat, nisi causis cognitis, quae Tacitum commoverint, ut venia sibi opus esse et opinaretur et fateretur palam, necessario quodammodo factum est, ut in hac quoque causae susceptae parte illustranda elaborarent interpretes. Sed aliis aliter visum est: sic ut cui placuerit varias istas virorum eruditorum sententias perlustrare, nae ille modo in gyrum quasi agitetur, modo tanquam in scopulo haereat anxius et suspensus: unde id ipsum evenit, quod factum videmus, ut novissimus quisque interpres verius quid et aptius proprio quodam nisu producere contenderet. Mihi autem persuasum est, varias istas interpretum sententias atque ipsas etiam causas probabiliores, quibus ut veniam peteret Tacitus compelli potuerit, in quatuor potissimum genera distribui aut redigi posse: ex quibus quod et quale unum illud fuerit, quo vere commotum se senserit, an ex pluribus duobus fortasse aut tribus mixtum illud fuerit, difficile sane est dijudicare ac decernere. Licet autem causas illas, de quibus modo dixi, quaerere vel in Tacito ipso ejusque sensu et animo; vel in seculi, quo ille vixit, hominibus eorumque ingenio paulum in deterius converso; vel in Agricolae tum rebus gestis, tum fama et existimatione; vel denique in Domitiano ejusque saeva ac dira dominatione. Quae multiplicis quasi materiae in singulas et discretas partes distributio si ratione nititur, ut spero ac prope confido, firma et valida, habui certe, cur dubitarem, num verum viderit Cl. Wexius sibique constet in hac commentationis parte, utpote cui placuerit duo inter se genera commiscere et tantum fere tribuere Tacito, quantum seculi, quo ille vixit, moribus depravatis ac pessumdatis. Verum quantumvis cuivis libri alicujus auctori, inprimis rerum scriptori, ratio aliqua habenda sit morum atque ingenii seculi, et optimus quisque communi hominum judicio obnoxius sit, quod suspiciat ac vereatur necesse est, tamen gravitas illa animi et constantia, quas tanquam proprias et insignes virtutes Tacito adserere nemo bonus unquam dubitavit, obstant, quominus eum anxia quadam cura agitatum fuisse credam, num ipsi eventurum sit id quod sperabat, ut opera sua in vita Agricolae narranda posita seculi sui hominibus approbetur. Adde, quod talis animi sollicitudo aliena prorsus fuisset ab illa fiducia morum, quam ipse c. 1. in prioribus suo quoque nomine collaudat. Itaque dolore potius animum viri patriae amantissimi perfusum fuisse credamus, justo quidem et acerbo, sed aequo et moderato, neque vero ad tantam sive aegritudinem sive indignationem hominem fortem et constantem abreptum fuisse cogitemus, ut civibus culpae daret probroque haberet, quod a dominis et tyrannis saeve ac crudeliter aut commissum esset aut imperatum. Hic dolor, ut magno et excelso animo plane dignus, ita Taciti ingenio prorsus consentaneus est: ejus manifesta multa, si quis dubitet, passim in libris suis edidit documenta: omnium luculentissimum et quod maximam ad persuadendum vim habet, ipsum vitae Agricolae exordium. Hoc enim totum, si quid recte video, inde a cap. I. ad c. IV. tum eo animi sensu atque adfectu, tum eo consilio compositum est, ut omnium miseriarum tam publicarum quam domesticarum culpa pariter ac causa in Domitiani saevitia et dominatione quaesita et ad illum translata videatur. Eo, nisi omnia fallunt, totius praefationis summa redit; in eo quaecunque de Domitiano vel tacite significantur, vel palam et aperte tradita et judicata leguntur, velut capp. 41. sqq.

44. extr. 45. mire consentiunt. Ac si verum est, quod ajunt, pectus esse, quod disertos facit, non mirabimur, quod Tacitus, quum totus esset in pia et luctuosa soceri defuncti recordatione, capitali quodam tyranni odio exardesceret, mitius post ac sedatius sentiret, quum Historiarum libros editurus esset: (cfr. Hist. I, 1. f.) nam et expertus erat haud dubie illud, quod Sulpicius quondam ad Ciceronem scripsit (Cic. Epist. ad Fam. IV, 5, 14.) nullum dolorem esse, quem non longinquitas temporis minuat ac molliat, et quae rerum scriptori lex observanda esset, quae ejus dignitas et gravitas, quantum Historiarum opus differat a pietatis monumento, in soceri honorem nuper condito, probe sciebat. Itaque quum veniae petendae causam in Domitiano sitam fuisse multo verisimilius ducam, quam in seculi moribus, nihil aliud verbis illis Tacitum exprimere voluisse credo, quam hoc: non prius sibi licitum fuisse vitam Agricolae in publicum edere, quam quum Domitiano exstincto honestam scribendi et dicendi libertatem denuo nacta esset civitas Romana. Quae loci interpretatio, a Dronkio nuper post alios, velut Salinerium, Savilium, recepta, praeter facilitatem, alia complura habet adjumenta, quibus illa et sustentetur et confirmetur. Primum enim non levis momenti est ad causam nostram tuendam, quod Tacitus dixit, sibi *nunc narraturo* venia opus fuisse: cui quidem loco idem accidit, quod aliis multis, ut vel negligeretur, tanquam intellectu facilior, vel torqueretur magis quam explicaretur. Neque vero particulam *nunc* cum Salinerio ita accipi velim, quasi illa significet: *nunc demum*; nam neque alias usquam particulam *nunc,* simpliciter positam, vim istam habere arbitror, et si Tacitus eam hac notione usurpasset, parum accurate locutus esset. Scilicet scribere tunc debebat vel nunc demum *narranti,* vel, si tale quid placuisset, cui nunc demum narrandi *copia facta est.* Nam quum particulae *demum,* ubi adnexa est alteri illi *nunc,* ea sit potestas, ut punctum indicet temporis, quod prius non inciderit, quamquam incidere poterat, necessario sequitur, ut res illa et conditio, quae evenisse traditur, aut Praesentis temporis forma exprimatur, aut Perfecti: qua utraque verbi forma indicatur id, quod est aut factum est. Exempla et in promptu et large suppeditata sunt ab Handio V. Cl. Tursell. II. p. 251. sqq. et si pauca essent, ipsa ratio nos edoceret, hanc esse particularum *nunc demum* vim et conditionem; a qua diversam esse notionem particularum et juncturarum: *tum* demum, *ibi* demum, *id* demum, inter omnes constat: eas enim omnes etiam ad res et conditiones futuras referre licet. Verum, ut ad ordinem revertar, *narraturus* quum is dicatur, cui aliquid narrare propositum est quique in eo est, ut rem aliquam gestam exponat, idque libera sua potestate, quumque nulla prorsus significata sit neque auctoris obligatio, nec ulla lectorum, quibus libellus destinatus esset, exspectatio, nescio quid ineptius optimo scriptori intrudi potuerit, quam notio illa particulae *nunc* supposita, qua illa augeatur et intendatur. Quare, ut paucis rem absolvam, verba *nunc narraturo* etc. arctissime inter se cohaerere, minime vero, id quod et mihi olim visum est, particulam *nunc,* ad eam enuntiationis partem referendam esse censeo, quae continetur verbis: *venia opus fuit.* Singulas igitur totius loci conditiones ita quaeso mecum secernas: Nunc quidem se esse narraturum, Tacitus ait, vitam defuncti hominis, id est, expositurum se de vita Agricolae adeoque confecturum esse opus, jam dudum animo propositum. Quod quominus prius et suo tempore susceptum et absolutum fuerit, impedimento fuisse saevum Domitiani imperium; eo enim narrandi veniam sibi si non prorsus ademptam, at certe imminutam fuisse, praesertim periculo imminente, ne quidquid in virtutis alicujus laudem scriptum esset, capitalis noxae haberetur. Hac itaque formidine a scribendo ipsum retardatum esse libere fatetur, eamque moram, quam dicere licet, modeste ac verecunde eo designat, quod venia sibi opus fuisse ait. Veniam autem mecum intellige *narrandi,* id quod ex enunciatione interposita supplendum est; ut apud Plin. Epist. I, 8, 1. legimus, veniam recusandi laboris. Nihil autem frequentius est, quam *veniam dare petenti*, i. e. concedere alicui aliquid. Cfr. Manut. ad Cic. Epist. ad Quint. Fr. 3, 1. et Baumgart. Crus. ad Sueton. Tib. c. 10. Quapropter audacius quam verius dictum simulque interdictum censeo a

Walchio cfr. Agric. p. 100. ne quis forte *veniam* existumet unquam notionem obtinere *potestatis factae*: ait enim ille: „*Auch heisst venia nie schlechthin Erlaubniss.*" Sed, quod bona venia et nullo Viri defuncti damno dictum sit, ne ego quidam *veniam* eadem notione accipio qua potestatem vel licentiam alicui datam libere et suo arbitratu agendi: semper enim *venia* data non tam concedentis est, quam condonantis, eique inhaeret notio quum humanitatis, tum indulgentiae; sic ut *potestas* et *licentia*, si cui datur, juris quasi sit et legum, *venia* gratiae et bonae voluntatis. Quare quicunque tacite aut palam deprecabatur opportunum, quo libere dicere posset, quae sentiret, tempus, eum veniam sibi petiisse haud immerito neque inepte statuere licet. Accedit, quod eidem illi vocabulo, quo Tacitus usus est, reprehensio et censoria quaedam nota inhaeret; si quidem quicunque veniam petiturus est, culpae quodammodo aut criminis quantumvis ficto nomine reum se confitetur, et talem, in quem non tam jure et legibus, quam indulgenter et clementer agatur necesse sit: cfr. Gellii N. A. XI, 8. Sed jam ad finem properandum est: itaque accedo ad id, quod Wexius verbum *fuit* delendum esse censuit: id quod immerito factum esse credo. Neque enim causa ulla subest idonea, cur ejiciatur, et *fuit* non *copulae* vices sustinet, quam in arte vocamus, sed vere accidisse aliquid indicat. Duas itaque temporum distinguas conditiones: unam, quae incidit statim post obitum Agricolae, quam auctor significavit verbis: *fuit* et *petissem*; alteram, quae in praesenti est et quae eo designavit, quod dixit: *nunc narraturo*: quo item spectant, quae infra leguntur c. 3. *Nunc demum redit animus*: moram denique interpositam sive spatium temporis interjectum haud obscure indicavit verbo: *petissem*. Postremo, ne id quidem temere aut fortuito factum puto, quod Tacitus scripsit, venia sibi *opus* fuisse. Nam quod Doederleinius (*Handb. der lat. Synon.* p. 151.) ait dictione illa *opus est*, necessitatem significari a prudentia imperatam, (*eine Forderung der Klugheit*) ab eo ita dissentio, ut *opus esse* id potissimum statuam, quo parato vel adhibito effici aliquid posse creditur; quod itaque usui est et propriis cujusque necessitatibus inservit. Itaque adfine est graeco: *σὸν ἔργον*; de quo cfr. Viger. de idiotism. p. 88. ed. IV. Ipsa autem propria haec vocabuli vis optime convenit illi rerum ac temporum conditioni, qua Tacitus aliquamdiu eguisse se queritur. Quae omnia si quis secum perpenderit, vix esse crediderim, quo ille haereat aut offendat, nisi forte cui suspicionem movet id, quod *veniam petere* tam ambigue tamque parum definite dictum sit, ut pari propemodum jure vel ad aequales vel ad cujusvis generis lectores referri queat, atque ad illam scribendi libertatem, a mitiore Nervae Trajanique imperio Tacito concessam. Verum, qui ita dubitant, animum quaeso attendant ad id, quod ipsae rationis leges postulant: nimirum non satis est petiisse, sed longe potius habemus, impetrasse id, quod petiimus. Jam vero quid illud sit, quod Tacitus et petierit, et impetraverit, ipse declaravit iisdem illis verbis: *Nunc demum redit animus*; quibus cumulum quasi addidit c. 44. fin. dum felices praedicat, quibus contigerit durare in hac beatissimi seculi luce. Denique his omnibus tanquam clausulam addas, quae idem ille Histor. I, 1, extr. professus est: rara se gaudere temporum felicitate, ubi sentire quae velit, et quae sentiat, dicere liceat.

Sed jam ultra terminos haec mea evagata est commentatio: qua conscribenda quum id potissimum spectaverim, ut ad memoriam beati **Schüssleri** nobiscum celebrandam **Inspectores** Gymnasii **Amplissimos, Fautores** rerum nostrarum **Humanissimos**, omni qua decet pietate et verecundia invitem, nihil reliquum est, quam ut Vestram, Viri Generosissimi, gratiam et indulgentiam implorem, ut cum bona venia audiatis oratorem in honorem optimi **Schüssleri** verba facturum.

Est ille **Otto Müller**, Geranus, primae classis discipulus, oratione Latina de sententia expositurus: *Virtus post fata superstes.*

Scripsi GERAE, d. XXVIII. Novembr. a. a Chr. n. MDCCCXLI.